


PRINCEPS
In Regno Cordium
DOLOR,
LACHRYMARUM
PRIMAS,
AFFECTUUM
PASTOR.
Ad Triste Feretrum
In Basilica Metropolitana Gnesnensi;
CELSISSIMO PRINCIPI.
Illustrissimo Excellentissimo & Reverendissimo
DOMINO,
D. STANISLAO
In SŁUPOW
SZEMBEK,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI;
Legato Nato Regni Poloniæ & M.D. Lithvaniæ
PRIMATI PRIMOQUEPRINCIPI,
ARCHI-ABBATIÆ Tinecensis Perpetuo ADMINISTRATORI
PARENTALIS.
Ab Apolline Collegii Łovicienfis Scholarum Piarum.
Metro Lugubri
DECANTATUS.
Anno Domini 1721.

VARSAVIÆ, Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

34

Magni vulneris dolor, nullâ diuturnitate temporis aboletur. - - - - - - *Symmachus.*

Teſtimonium boni adempti, dolor. - *Dio.*

Nihil eſt difficilius, quàm magno dolori paria verba invenire. - - - - - - - - - *Seneca.*

Pallere liguſtra,
Exſpirare ROSAS, decreſcere lilia vidi. - -
- - - - - - - - - *Claudianus.*
Mereor Divino pollice carpi. - - *Idem.*
In æternum vivere digna ROSA - *Martialis.*

LESSUS FUNEBRIS.

I.

PAllete Mitræ Principes
Eſt ſplendor umbra mortis.
Lux Purpurarum funebri
Reconditur ſub antro.

II.

Mortes Senatui vigent
Fervete ſceptra fletu,
Legum poteſtas eſt neci,
Exlege plorate luctu.

III.

Jacet Columna Patriæ,
Athlante creſcit urna;
Tam Luminoſo Pulveri
Fundatur unda plorans.

IV.

Ceræ Parentes lumina
In buſta mortis addunt,
Plantat ſepulchris aridis
ROSAS Colona triſtis.

V.

Pupilla ploret imbribus
Confuſe vade mæror;
Humore tali poſtulat
Arens rigari planta.

VI.

Heu! quam ſevera fulminat
Crudelitate Parca;
Tam pulchra Pæſta colligit
Rogo cremanda tetro.

VII.

O! tumba mortis aſperæ
Domum parans puſillam
Tam machinam grandem ſtruis
Vt Principes coarctes.

VIII.

Sed jam querelæ deſinant
Pulſare Numen arens;
Mitris ſuperba Parca
Non ſit dolore lenis.

IX.

At ſempiternum Vmbræ jubar
CELSISSIMÆ precemur,
Primi Coloniam Patris
Dando *ROSÆ* Paternæ.

)(2

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI.

PRincipem Dolorem non tam atrâ luctum præferente ſepiâ, quàm plenis lachrymarum exundantem alveis, penes extremi triſtia fata rogi in publicam producimus lucem, quò magnarum domitricis animarum Libitinæ ſaucijs ſtylo conſulamus cordibus, animorum Veſtrorum poſſimus levare querelas. Gravi hic præcordia Patriæ vulneravit ictu, triſti Nuntio Procerum lancinavit mentes, pœne ad interitum cognata dilaniavit pectora, dum ad funerea extinctus intortitia ſol ſoliorum, fatali occaſu horridam noctem Lechico invexit orbi. Multò graviore Calaſantinæ Religionis corpus ſauciavit telo, quod præ nimia mœroris magnitudine vitali deſtitutum Spiritu, haud aliud afflicto animo valet invenire antidotum, quàm præruptis oculorum cataractis

 quotidi-

quotidianâ lachrymarum irrorari ſcaturigine, munificentiſſimum ampliùs quàm ſeptem oſtijs Nili beneficia profundentem, omni debitæ gratitudinis digniſſimum titulo, luctu & planctibus proſequendo Protectorem & Patrem.

----- hic Pater eſt, qui fletur, & idem,
Egregium virtutis opus - - - -

Suppedaneâ Principibus plantis minima Scholarum Piarum Religio eunte in ſuppetias totius univerſi mærore dat lachrymas, & ſi fas eſſet dediſſet ſpiritum, annos redimeret annis, animam ſuam poneret, & in mille feretra ferret, ne vita ſalusq; Pátris Patriæ, à qua totius Regni pendebat integritas, cederet in victimam fatis. Sed graviſſimâ Celſiſſimam Domum Veſtram Illuſtriſſimi Excellentiſſimi Reverendiſſimi Domini excruciavit idem Princeps Dolor lanienâ, ingens mæroris pandendo æquor, ſublatâ ab oculis Præſulum Gemmâ, Coronarum Unione, Regum Speculo, ſuccisâ firmiſſimâ Celſiſſimæ Familiæ Columnâ erepto SZEMBEKIANÆ Proſapiæ Decore, Statore Chriſtianitatis, Fidei Atlante concuſſo, penes vitæ occaſum extincto Majori Lechiæ Luminari, in Cælo meritorum coruſcante, in meridie virtutum conſiſtente. Sentitis teneriùs fatorum acerbitatem, quos indiſſolubili Fraternæ charitatis vinculo Primati Celſiſſimo Primoq;-Principi *junxit conſangvinitas. Clariſſimi Sarmatiæ Soles aureo aliàs inſignes ſplendore, nunc prœ luctu impalleſcitis; Auguſta Veſtra domiciliá, Baſilicæ ædes, Palatina Limina ſubito concutiuntur tremore, ubi ad Supremum Archiepiſcopalis Honoris elevata culmen, omnium virtutum, & Scientiarum innixa fundamentis corruit Metropolis. Tota Aula Veſtra in ſquallore, Tyrio vellere contextœ Purpuræ pallent ſitu mortuali. Eonè pervenit malevolæ audacia mortis? ut efflorescentibus*

tibus

tibus Cœlo virtutum odore, Poloniæ meritorum fragrantiâ, CELSISSIMÆ *Domui immárceſcibilitatis gloriâ ſe auſa ſit coronare* Rosis, *ipſasq́;* Principes *funeſtare Purpuras crimen læſæ non metuens incurrere Majeſtatis. Quem juſtus non tenebit, imò in profundum exundantium gemituum non protrudet dolor! quando uno ab ictu Patrem Patriæ, ex immortali* STANISLAI *Nomine ſtatorem Lechiæ, ſervatorem Legum,* SERENISSIMI AUGUSTI *Cor, Civiumq́; amorem eodem caſu concidiſſe videmus. Non uno hic Optimus* Princeps *deplorandus temporis momento, verùm integris lugendus ſæculis, neq́; ullâ ſatis deflendus ætate, qui laudatiſſimæ monimenta reliquit vitæ, omnes ſanctitatis gradus, ſingulas perfectionis vias inoffenſo decurrens pede, rectam ſecuturis temporibus ſemitam, ad memoriam inter homines æviternam, ad gloriam inter Cœlites immortalem conſequendam domonſtrando. Cujus ab aurora vitæ, uſq́; ad limina fati, ſi ad æquitatis calculum meritorum ſeries quàm in Eccleſiam, tam in Patriam fideliter referretur, univerſi orbis non ſufficeret hiſtoria, dareturq́; inenarrando proceſſus in infinitum. Sufficit dixiſſe: ſatis vixit diu, dum ſatis bene; vixit ſatis, dum ad Pöétæ placitum.*

Quem ſui gemuêre Cives,
Hic diu vixit.

Gement, nec deplorabunt ad menſuram dolentes populi; unum illud inter repetitos ſingultus in votis omnium, unum de ore ſingulorum audietur: Vixiſſes utinam Regum Coronator, Libertatis Aſſertor Magne Princeps*! vernaret utinam Poloniæ Regnum ſub Florido Tuo Primæ in Regno Gloriæ Pæſto! ſub excreſcentibus in Patrio Campo Centifolijs odorem eximiæ famæ in diſſitas latepatentis orbis diffunderet Regiones! Quamvis fatorum decoctæ œſtu virent, vigentq́; immarceſcibiles*

 Rosæ

Rosæ, atq; è sepulchri busto miro odore langventem recreant, recreabuntq; Patriam, quia illas æternitati fama implantavit immortalis. Vivit inter frigidos Mausolœi cineres, quem nescia leti virtus animat, & licet Lechicum orbem vocante Numine orbum reliquit, gloriosum tamen Nomen illius futuræ posteritati prædicabunt Annales. Vivet totâ temporum mensurandus perennitate, dum in Vobis JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI vivâ adumbratus repræsentabitur imagine, animabitur spiritu, recentiq; sui memoriâ ante oculos versabitur Fraternos. Et primò vivet in Te JLLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE MICHAEL SZEMBEK Antistes Paphensis SUFFRAGANEE & DECANE Cracoviensis ABBAS Claræ-Tumbæ, pietate erga superos ad aras, vigilantiâ supra oves in Cathedris, zelo Religionis in Ecclesijs eminens, clarissimam semper virtutū celebrans Apparitionem, cujus Suffragantibus cœlumq; petentibus Orationum jaculis Divinæ præponderantibus bilancem Justitiæ in Libra MICHAELIS Principis Militiæ cœlestis repositis Divinâ Apotheosi CELSISSIMI PRIMATIS Germano fœdere juncti illustrati Manes extitêre. Vivet & in Te vivis depictus probitatis coloribus JLLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE CHRISTOPHORE SZEMBEK Præsul Prœmisliensis zelosissime honoris Divini Defensor, in fervore orandi Flaminie, qui eâdem virtutum cum pijssimæ memoriæ CELSISSIMO PRINCIPE procedens semitâ, reducem à portis mortis & redivivum in omni morum compositione & sanctitate reprœsentas STANISLAUM. Vivet in Tuo grandi Nomine cum lustricis influente aquis Jllustrissime & Reverendissime Domine CHRISTOPHORE SZEMBEK ANTISTES Vladislaviensis, Alcides Sarmatiæ Lernœa Hœresum suffocans monstra, spiri-

tus

tûs ſervore, atq; inextingvibili flammâ amoris erga ſuperos ardens, cujus cordis archivo, potiùs quàm mortuali ſarcophago ſervabuntur incluſi cineres memorandi. Ubi Signatoriæ Ceræ ad œſtum doloris diffluunt, ponis ut ſignaculum ſuper cor Tuum ad perpetuam memoriam Primi Principis *Celſiſſimum Nomen Illuſtriſſime Excellentiſſime Domine* CANCELLARIE *Regni, Coronatæ Mentis Interpres. Os es Invictiſſimi Regnantis, loquere ad Cor Auguſtum, fidelem erga Majeſtatem Primatis Regni amorem, ſolertem circa bonum publicum Primi-Principis curam, debitam ſemper erga Thronum reverentiam* STANISLAI. *Vivat poſt fata in corde AUGUSTO, qui vivus cor dediſſet pro honore & ſalute Sereniſſimi AUGUSTI, ipſamq; animam ſacravit Auguſto. Gratioſum in vivis ſemper expertus IOANNEM, in ultimis vitæ ſuæ tabulis ſupremæ voluntatis poſuit Protectorem; nulla enim ſecurior diſpoſitio, quàm ſub tutela IOANNIS, cui etiam moriens in Cruce Vita tutò concredidit pretioſiſſimæ Matris conſervationem. Illuſtriſſime & Excellentiſſime* DAPIFER *Regni ALEXANDER SZEMBEK ad æternæ portionis invitato tractamentum appone Cor Dilecto Fratri Celſiſſimo* PRIMATI. *Hoc enim ad perfectam Cœleſtis Beatitudinis fruitionem ſive quærendam, ſive poſſidendam primò eſt neceſſarium. Si adhuc retinacula mortalitatis morantur æternæ felicitatis poſſeſſionem ALEXANDER Fortiſſime & Fortunatiſſime diſſolve nexum Gordio nodo difficiliorem, quò expeditior procedat anima ad libertatem Sanctorum. Vivet & in Veſtris cordibus fraterno fœdere junctis Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine FRANCISCE SZEMBEK Gneſnenſis, Cracoviēſis* CANONICE *ad Tribunal Regni Secundâ Electione Iudex Deputate, tum Illuſtris Magnifice STANISLAE SZEMBEK Primatialis Portitor Nominis Lelovien-*

ſis CAPITANEE. *Viret perenni recordatione dignus Celſiſſimus Patruus Veſter, qui dilectis Nepotibus Archi-Præſuleâ Cruce ad Paſtorales Infulas, & Palatina Laticlavia ſignat iter. Nec Te Jlluſtriſſime FRANCISCE SZEMBEK* CASTELLANE *Viſlicenſis cæterosq́; hac Conſangvinitatis procedentes Lineâ quâ Sago, quâ Togâ Jlluſtriſſimos, ſub* ROSA *Celſiſſimæ Domui Veſtræ Nativa relinquo, quorum in recenti memoria per ſingula momenta perennabit ille, cujus impreſſus menti, expreſſus cordibus extat amor, qui ad duri exequias fati extorſit ex oculis gemmas, ut juſta tanto affectui pendatis tributa. Lenimentum doloris Veſtri aliud eſſe non poteſt, niſi ut per univerſam diviſus Europam in Veſtris pectoribus minuatur. Et jám date lachrymas* Jlluſtriſſimi Excellentiſſimi & Reverendiſſimi Domini *Patrem Patriæ proſequendo ad tumulum, cui ſi univerſus parentet Orbis lachrymis, parum eſt. Lugebunt Vobiſcum ipſa ſæcula, quoties has volvent paginas, toties incuſabunt fata, quòd tantum Principem è ſpecula publicæ lucis inter umbras transtulerint ſepulchrales. Lugebimus & Nos nunquàm ſatis deplorandum Patrem & Protectorem, cujus funebrali cordibus & animis aſſiſtentes Actui, exilem hanc ſub grandi SZEMBEKIANÆ Gloriæ pallentem pondere chartam, Celſiſsimas demittimus ad plantas, quam ad Jlluſtriſsimum Dignitatis Veſtræ conſpectum admittere non dedignemini, ſupplici expoſtulat voto*

JLLUSTRISSIMORUM EXCELLENTISSIMORUM
& REVERENDISSIMORUM DD:

Devinctiſſimum & Obligatiſſimum
Collegium Łovicienſe
Scholarum Piarum.

CARMEN PARENTALE.

HOrror ineſt Patriæ! pallentia Numina ſurgunt
Oſſibus alta ſuis, timor ingens pectora pulſat
Non decus eſt Trabeis, expallent morte Curules
In ſolijs commune malum furialibus auſis
Fata regunt mithras, quo neſcio fine ferentur
Res Lechiæ, primuſq; decor, legumq́; poteſtas.
Lechia purpureos ubi pandit noſtra Penates
Hìc priùs afflictæ Patriæ conſulta fuêre
Hìc locus eſt vitæ, nunc mors eſt incola triſtis
Poſtibus accumbit, pulchræ in criſtalla feneſtræ
Proſpicit, & latis populum veſtigat in agris.
Mors tenet afflictos tanto geſtamine faſces,
Pallida funereos inveſtit purpura Reges;
Miſcetur tumulo roſeæ decus omne Tiaræ,
In ſpolium fati ſacratior Infula cedens
Præſuleo cineres clarat ſplendore dolendos.
At trepidos fato Regnatrix pallida vultus
Ingrediens, ſimilem producit in ore colorem;
Triſtior inviſis ſtat forma repente figuris,
Pontificem faciem toties quam murice chara
Patria deterſit, quoties ſudare laborem
Viſa fuit, meritis curiſq; gravante Tiara,
Illam quæ pondus dabat & ſolatia Regno

Insolito afficiens squallente cadavere vestit,
Cujus ad arbitrium se Lechia tota regebat,
Et gladius cessabat atrox, & fulmina belli
Jussa per Odrysios tonitru vastare Penates
Apta forent, cujus nutu servata manebat
Patria, perpetuis in libertatis honore
Mensibus assurgens; jam nunc cogentibus astris
Occumbit, seq; ipse stupens à sensibus exit
Ah! tandem Sacra Mithra jaces, nec vertice ferri
Domus Illustrissima Celsissimum Principem deplorat. Expetis. At rubeo Patriarum in flore ROSARUM
Ros lachrymæ tristem suspendit pectore fletum,
Pullatum vestita decus trabeata removit
Tegmina Celsa Domus, luctus in corde fatiscunt
Et tantùm passim per pectora mæsta vagantur.
Frendet amor, munusq; suum conferre dolori
Esseq; non parvus rursum dolor iste videtur.
CHRISTOPHORUM qui luctus habet si carmina dicant
Littera diversis deberet in æquora formis
Quælibet inverti, tunc saltem norma fuissent.
Et Tu Cognatum fles Casum Maxime Præsul
Cùi meritam cingit Mithris Præmislia Frontem
Urnas flet MICHAEL; at CANCELLARIE Regni
Perpetuos fontes Tibi tristia Lumina volvunt,
Peneq; per fluvios undans pupilla videtur.
Et Tu deploras o! CASTELLANE Senatûs
Patrem, quod viduum stupeat se Numine tanto,
Nec sibi detergit planctus lacrymasq; dolentes
Ex oculo DAPIFER, Dignus quem sæcula plangāt,
Emoritur. Quem Tu fors SUCCAMERARIE Craci
Ad tumulum comitarê Atrum cineresq; perēnes
In lachrymis planctuq; fero, gravibusq; querelis
Et Tu sat justum cordis FRANCISCE dolorem
Testaris, Sacra Libra probat, qua mole prementē
Et Tu deploras tumulos CAPITANEE Tantos.
Patria flet Patrem, Columen Domus alta Sepultū
Pastorem populi, Tutorem Præfica luctu
Relligio queritur lachrymans CALASANTIA Magnū.
Istula ploratu pariter suffusus & undis,
Despu-

Fama mortis Celsissimi Principis pariter cum dolore ubiq; dilabitur.

Despumat torvum grandi de fonte dolorem,
A quo flumineos exsorbent Balthica planctus.
Funeream crudo suspectat culmine pompam
Carpathus, & duræ plangentia murmura rupes
Ex antris sonuêre cavis, respondet acerbus
Hemus & Emathiæ senserunt tristia cautes.
Gnesnea nigrantes assumunt mænia fastus
Pastori bene grata suo, dum justa dolori
Pendit ad Augustum mæstissima Lechia nidum.
Sol ubi defessos mittit sub cærula currus,
Infundunt totas umbrarum pallia valles.
Cedrus mortiferum dùm sentit cortice ferrum,
Acclamat vocale nemus, ramiq; renarrant
A valida Cedro venientia fata securi.
Emoreris Princeps! & pectora nostra dolorem
Ingeminant, planctum nullo relevantia plausu;
Nam Tibi dum charam dissolvunt stamina vitam,
Non Tibi sed Patriæ moreris, lumenq; negatũ
Publica Sarmaticis infundit damna Quirinis.
Jam viduas Pastore suo ploravimus Aras
Præsule dum gemino complerunt fata feretrum.
Et nondùm siccis aliæ mæroribus undæ
Increscunt oculis, madidum lumenq; recondunt,
Dùm fremit immensis fatum non mite ruinis
Non unâ sat morte satur, non Consule cæso
Arma rubigo tenet, nec sangvis tergitur ater
Decolor at totas infuscat morte Curules.
Unus nemo perit. Socium deducit Achatem
Ad casum quem solus habet. Præcedimus urnæ,
Et rursùm reliqui consvetâ lege sequuntur
Ut titubans gramen succindit falce Colonus,
Herba cadit comitata suis ad funera pratis.
Omen erant nobis vacuatæ Præsule Mithræ,
Quod dolor hic oculum potiores fundet in amnes.
Ergo parentamus Lechico pia Turba Tonanti
Funereum date plectra melos, & justa dolori,
Pendite Vandalidæ, nunc dextras tendite Cœlo,
Grandia nunc fervens cognoscat verbera pectus,
Corda gemãt Faustũ Patrem super Astra receptum.

Duo Præsules eodem Anno Celsissimum Principem præcesserunt.

Roma fuit ſubitis nuper concuſſa ruinis
Romulidas dùm fata regũt, luctuſq; feroces
More Tyrannorum configũt vulnera cordi.
Cauſa doloris erat non vili vivida facto.
Poſtquàm Romuleæ nutarunt vertice Mithræ,
Æternaſq; ſuas lucem miſêre ſub umbras,
Numa cadit, populiq; cohors pullata vagatur.
Non ſibi ſunt plauſus, non primis victima templis
Admugit, non ſceptra cohors præeuntia Divis
Adducunt, tantùmq; melos convolvitur horrens,
Roma Parens fuſis paſſim ſuppleta querelis,
Hùc quò tecta nitent magno conſtructa Tonanti,
Hæc Jovis exoptans Latij ſe viribus uti,*
Accurrit, pulſatq; fores, incluſaq; templa.
At dùm divulſis patuerunt Numina valvis,
Mæſta petit Superos ploratu vindice Divos:
Vos mihi cauſa mali; vos maxima Numina ſupplex
Roma petit, juſtum rursùs penſate Tribunal
Et ſua mutatis currat Sententia votis.
Numa mihi donatus erat, qui ſceptra teneret,
Qui Latios priſco regeret de more Penates,
Qui Divûm poſtes, & Romula templa domatis
Montibus affingens ſacros poſuiſſet ad uſus.
Dìj precor edictos aliter diſponite caſus.
Vos tutela mihi; vobis debetur uterq;
Exitus, ut caſtam reficit Lucina Parentem,
Ut Lacheſis canum lætam deducit in Argon.
Veſter nutus adeſt, & Vos ſi gratia placet.
Jàm nunc inviſus vivus mihi Numa redibit.
Nec prece finitâ ducuntur ad oſtia paſſim
Turba boum, reliquiq; greges, Agniq; nocenti
Pro populo magnis qui ponant vellera Divis.
Flamen adeſt, acreſq; gerit de more ſecures,
Incluſus magni curvâ teſtudine ſcuti
Victima multa cadit, ſupplex fit ſanguine taurus
Suſcipiunt votum Superi, Diviſq; remugit
Vox adytis; nunquàm Sanctum fatalia Numam
Jura premunt vivit per ſæcula mille perennans.
Leni-

Leniter acclinem ſuffulta Polonia frontem
Funereum veſtita decus, dùm juſta dolori
Pendit, & arroſum ſcit ſe conſumere pectus.
Quis decor eſt panſis natum plorare capillis,
Neglecti vultus, nigris ſucciſaq; pannis
Veſtis, & exanimi languentes corde dolores.
Ah! decus eſt tantis natum deflere querelis.
Ad normam geritur ſuccenſi planctus amoris.
Flere jubent Superi, Divorum Sancta voluntas
Languida ſecretis format ſuſpiria fibris,
Dixit & adſtantem leviter complexa volucrem
Triſtia lugubribus ſupponit lora coronis,
Cernitur, inſvetis ales ornata phaleris
Non ſolitumq; ſtupet roſtro ſe mandere ferrum,
Greſſus ſuſpendit turbæ non more volantis,
Sed ſe conformat gravibus gradiendo veredis.
Molli ſericeas dextrâ protendit habenas
Lechia, carpento leviter portata volante
Quàm pulchrè molles dextras hæc cura fatigat,
Ipſe ſtupet Jupiter, miratur Phœbus uterq;
Et p operis paſſim mutata Provincia pennis.
Non viſum ſuſpectat opus, quod ſponte videntẽ
Deſerit, & profugos ſequitur ſuper àëra ventos
Tunc ſuper æquoreos protendit culmina fluctus,
Semper terra virens & amæno flore venuſta.
Fortunata fuit primis hæc Inſula luſtris
Nec nomen mutat, quamvis tot ſæcula currant.
Quàm faciunt fruges, nec cuſtodita propago
Arboribus, vero cantatam nomine Fauſtam.
Portus adeſt, jam chara Parens compeſce volantẽ
Cornipedem, vireſq; leva, volucremq; Caballum
Cum fortunatis jubeas volitare Columbis.
Aëreum pondus ventos, auraſq; fatigans,
Jam tandem patiente ſedet tellure quieſcens.
Hortus erat rudibus nunquam ſubjectus aratris,
Nempè cui ſuperum molliſſima gratia Divûm
Semper ineſt, blandis inducens munera ſylvis.
Prodigium! terras veræ miſcere Polorum

Polonia contecta dolore de morte Celſiſſimi natiua alite vecta ad Immortalitatem pergit.

 The

Thessaliæ, si quid describunt sæcula certi,
Non successivos producunt tempora partus,
Nec gemini, nec libra calet, sed more recenti
Insimul adversos componunt sydera menses,
Et pariter fructus in eodem tempore donant.
Semper cana nitet, ramis viridantibus arbos,
Et rursus semper fructus dependet adultus,
Hic malè maturus (mirùm finxisse loquenti)
Tenditur attonsis mollis Pomona viretis,
Æquales dimensa situs, stetit ordine certo
Ramorum munus, veluti sublimia circum
Pergama fundaret, vel qualia mœnia Romam
Defensant, simili servantur ab Arbore flores.

Descriptio Immortalitatis.

Diva potens Regem sedit vestita Tiaram
Stāt circum fasces, Trabeæ, Regumq; potestas,
Et gladij, scutumq; teres, fastiq; perennes.
Ipsa paludatos assumit Diva decores,
Non solij monstro, portentosâq; Curuli
Fertur, sed vernos mollissima lana tapetes
Investit, Dominamq; gerit super arva sedentem.
Quod Nomen, vel quæ magnæ cunabula Divæ
Ambiguum vatem si quisquam forte requirat,
Ex immortali desumit Nomine Nomen.
At divos artus non fascia parva tegebat,
Nec prætexta fuit, sed plenis semper in annis
Exsuperat menses, teretes Cœliq; volatus.
Sed majus pia Musa canit non Carmine parvo
Dicendum, quamvis totis Hypocrena fluentis
Exundet, totumq; ferat mea sæpia Pindum.
Excelsos superûm colles Permessia posco
Plectra, per Iliacos nuper Sacrata triumphos.
Musa reduc Cytharas, & certâ lege fluentis
Metri pone modos. Opus est non vile supernis
Tractandum manibus. Molli pia Numina dextræ
Subveniant, ne sola manus Dea magna fatiget.
Sydera celsa stupent, tonat altus Jupiter, Alto
Numina conveniūt tales mirantia portus.

Immortalitas in formam Regni corda disponit.

Implent corda manus, circumstant corda virentes

Per

Per campos, quæ dũmanibus Dea maxima format,
Conveniunt, & opus (mirum eſt) jungũtur in unũ.
Hoc leuiter, luſuq; venit, ſed Numina grandis
Horror habet, totumq; ſtupet natura per Orbem.
Patria noſtra petit, quid nam tàm nobile factum
Contineat? quâ lege venit? quæ Nomina portat?
Fulſit ad hæc frons læta Deæ, vultuſq; ſerenus
Ardet & in modicos aptantur labia riſus.
Tunc leviter dextrâ dextram complexa Polonam
Accedit quod fecit opus, cûi ſponte pateſcit
In viſum Regio, viſi ſunt ſydera montes
Tangere, nec ſummis unquam diſcedere ſtellis.
Viſi per ripas fluvij remeare repente,
Sed non pallentes fluitantia ſtagna procellas
Deducunt, tantumq; rubent ac ſangvine mero
Undant, ac propiùs fluidas qui accedit ad undas
Nec Cœli ſpeciem, nec ſe ſpectare videtur
Omnia confuſus ſic condit flumine turbo
Sanguineus. Poſtquam greſſus mutatur in ultra
Aſſurgunt turres, & maxima Pergama ſurgunt,
Et vici, campiq; graves onerantur ariſtis.
Ah! ſtupor eſt oculis (ſtupor ingens) langvida paſſim
In tot perpetuos concreſcere corda Penates
In quibus altorum ſpecie ſubnixa Polorum.
Altera conſurgit plantato Fabrica Regno.
Sic Titan, ſic ſtella nitet, ſic lumina condit
Cynthia, cognatum pellens ſub cærula Fratrem,
Sic Zephyri molles efflant ex ore ſuſurros
Sic tellus floret, ſic cana meſſis in herba
Albet, & aſſiduum revocat ſuper Arva Colonũ
Ut noſter colitur ſuffuſus ab æthere mundus.
Urbs non vilis erat, grandes turrita Coloſſos
Ad ſuperos tendens tectorum culmina Cælos,
In qua totius fabricans ars maxima Regni
Sedem, conſummat magno ſudore laborem.
Ingredimur, viſumq; levem per tecta rotamus.
Dum vivis factæ panduntur cordibus ædes,
Ingens Aula fuit ſpeciem commenſa decoram,

Deſcriptio operis.

Qualia famoſæ turgere palatia Chinæ
Mos non confictus dicit, ſed publica paſſim
Fama docet, populuſq; ſuum tranſumpſit in orbē.
Lechia chara petit, grandes ſenſura dolores,
Sed nondum fibræ norunt ſecreta trementes,
Accedit pulchros vaſto ſplendore penates,
Et ſe(non ſolitū eſt)dum ſponte lararia pandunt
Excubat omnis honor, decor ōnis, clauſaq; paſſim
Limina congeſtos auri fudêre nitores.

Mauſoleum Celſiſſimi Principis in Regno Cordium.

Dum procul in ſecto ſtat triſtis marmore forma
Neſcio quid fabricans; ſed jam præſagia dicunt
Cordis, & invitum deſpumat lachryma fontem.
Eſt caput & pedibus diſtentum more jacentis
Mortalis, viſum complevit marmor amantem
Qua caput eſt molis, terno fulgere rubentes
Excelſum micuêre ROSÆ quæ marmore plantant
Radicem, tamen ille decor qui ſuavibus arvis
Exundat, nunquam (mirum eſt) defecit in illis.
At pede quà vergit ſaxum finemq; dolendæ
Imponit fabricæ geminæ flent funera Capræ.
Sic vellus, ſic colla ferunt, ſic lumina vibrant
Ac ſi ſe vivâ ſentirent matre fuiſſe
Progenitas. Circumſtant agmina pulchra virorū

Laus Illuſtriſſimæ Familiæ jam in felici immortalitate exiſtentis.

Et Fratres, magnuſq; Parens, Proaviq; Potentes
Inſimul annexis cumulant ſua Nomina factis.
Hic ſtas magna Domus Lechiæ ſolatia Matris
Exanimes faſtus, & mortua pectora portans
Vobis fulta fuit, nunc fato occumbitis ipſi.
Attamen ut viſus implevit Lechia Veſtros
Fervet amor, rurſuſq; ſuum Sacra Corda favorē
Aſſumunt, crudi vel prælia fauſta Gradivi,
Vel fatum paci fundunt conſulta timenti
Fors iterum vobis jam miteſcentia tandem
Numina permittent proprios ſpectare penates
Sed mea non certis id cantat tibia metris
Quod ſemel eſt fati vis amplexata furentis,
Sydera non reddent gravibus pulſata querelis.
Hic ſtas purpureæ ſobolis Divûmq; Quiritum

BAR-

BARTHOLOMÆE Pater Lechicis inſerta Tiaris
Quo cultore fuit fauſtarum planta ROSARUM.
At tibi perpetuas impendit Lechia grates
Quòd tali ſe ſe perſentit prole virentem
Undiq; cantari pulchro cognomine Matrem.
Et Te præcingunt tot Nomina, totq; Nepotes,
In quibus aſſurgens paulatim proximus Hæres
Fis Trabeæ, celſæ meritus radiare Curuli.
Statis in adverſum duriſſima fulmina caſum
HIERONYMUS Tu primus eras, qui ſorte volente
Dùm Mars ſuccenſo conſummat prælia plumbo,
Tunc à Te pariter lapidum fragmenta tonabant,
Et pariter Lechiam dubij diſcrimine belli
Eripiens, partam ſervabas vulnere pacem.
Alter ALEXANDER Lechicis fors Bractra Coronis
Adderet, & Gangem fulvis ſpoliaret arenis,
Flebile ſi crudas fatum ſuſpenderet urnas.
At rurſus pulchram non vilis laurea frontem
Præcingit, Magnum GABRIELEM ſæcula dicent.
Et Tu perpetuos vives STANSLAE per annos.
Sed Tibi confuſus ſuſpendit plectra Cytheron,
PAULE, nec invitos depulſat pectinẽ nervos,
CHRISTOPHORUM non metra canũt, exceditis omnẽ
Metrorum ſeriem, parvarum Nomina Laudum
HIERONYMUS ſuperat, condenſans ſæcula faſtis
Spernit ALEXANDER cantum vileſq; loquelas,
Sed cineres etiàm Lunatica Regna timere
Nunquàm deſiſtunt, CAROLI metuendus in ipſo
Pulvere Bellator Thracas conſumit in ira,
CHRISTOPHORO mitis cineratur funere dextra
Attamèn hanc metuit memorandâ cæde Gelonus,
Nec valet in Lechiæ terras portare ruinam.
Jamq; ſuper tumulos ſublimia facta leguntur
Et virtus, & pax, & victa pericula belli,
Et populis ſervata ſalus, conſultaq; Mithris.
Scilicèt ingrederis viſum FRANCISCE dolentem
Cùi Camenecenſis complexa eſt purpura pectus
Principe Te Patrem fecerunt Numina Prole

Bartholomæus Szembek Primus in Regno Poloniæ Indigena.

Hieronymus Szembek Fortiſſimus Hector.

Alexãder Szembek ſtrenuus Bellator.

Gabriel & Stanislaus Szembekij Sigiſmundi 3. & Vladiſlai 4. Secretarij.

Paulus, Chriſtophorus & Hieronymus Maximi Reipublicæ Viri.

Alexãder Szembek Burgrabius Cracovienſis & Sigiſmundi 3tij. Secretarius.

Cárolus Szembek Fortiſſimus Heros.

Chriſtophorus Szembek Bellator ſtrenuus.

Illuſtriſſimus Franciſcus Szembek Caſtellanus Camenecenſis Genitor Celſiſſimi Principis.

Nunc duræ ſpolium mortis frigetis uterq;.
Bellator eximius. Quantus fervor erat Legum Patriæq; ſalutis
Martius ille Tyras fluitante gurgite dicit
Olìm qui bello Martiſq; refrigerat æſtum.
Hector in armatos toties proruperat ictus,
Et toties victor fortunæ dona ferebat.
Magna manus fortes nunquã conſumpſerat ictus
Illico quin calidis, hoſtis frigeret arenis,
Enſis vibravit vulnus, quod ſponte ſecutus
Sangvis, ſuffoſſæq; noviſſima flamina fibræ.
Moritur in Caſtris ad finem belli Chotimenſis. Tot jam Tenarias Hector deduxit ad umbras
Belligeros Manes, ſed Te jam ſydera mandant
Adveniſſe ſibi, cupidæ ſpes nulla ſalutis,
Nec jam Patritios poſtes Patriamq; videbis.
Dum pax ſplendet agris, mucronibus otia donat
Et plauſum Mithris tùnc Tu cum morte ſevera
Luctaris, pectuſq; tremis vitamq; reſolvis.
Attamèn undantes crebro rubricone meatus,
Ferreus ille Tyras paulûm ſeponet & undis,
Illuſtriſſimus Præclaus Szembek Caſtellanus Voynicienſis. Hectoreum Numen feris cantabit in aſtris
Adſtas jam fulcrum Patriæ PRÆCLAE labantis
At Tibi (non novi) quam fundat ſæpia laudem
In bello Hector. Undiq; ſummus eras, quàm durũ grandis in hoſtẽ,
Mucronis, dextræq; Tuæ fontiſq; cruenti
Formatus toties dicet cervice character
Quam vero pulchrè tantum deſcripſeris auſum
Impacta æternis demonſtrat pagina faſtis
Hic ſtylus eſt famæ Nomen deſcribitur ingens
Non calamis, ſed ab enſe fero, non ferrea tantûm
In Pace Cato. Tempora virtuti pretium, ſed pace colendus
Tullius alter eras. Dum Te Conclave tenebat
Ad Comitia Regni Nuntius ex Palatinatu Cracovienſi. Conſilij Legatum miſſum ex ordine Equeſtri
Verba tonas ratione gravans, ſenſumq; propinas,
Qualia Romuleus fudit conſulta Senatus.
Ad Tribunal Regni Iudex Deputatus. Deficiens metris, Aſtræam conſulo Divam
Quæ ſe debilibus ſufflarent carmina pennis?
Noſco, quàm juſſis ſtabat ſententia votis,
Quantùm fervebat nullo placabile pectus

Mu-

Munere, ſed ſolùm Patriæ cupiebat amatæ
Obſequium, documenta Tui tunc libra ferebat
Quantum pondus eras, pretiũ quàm grande ſalutis.
Patria cognovit cui Te mactaret honori;
Et Caſtellano ſuccingit murice pectus, *Caſtellanus Voynicenſis.*
Nec tamen abſterſo parvum ſudore laborem
Teſtatus, placidam vis Te captare quietem.
Poſtquam Sarmatiæ conſulta peracta fuêre
Et Rex AUGUSTUS Lechico clarandus in oſtro *Ad Sereniſſimum Regẽ cum denuntiatione Dignitatis Regiæ Legatus.*
Tanta Tuis pariter ſuccrevit gloria factis
Ut noſtro magnam non poſſes limite famam
Claudere, Saxonicas ſed Te Legatus in oras
Deferres Lechico portans diademata Regi,
Patria grata fuit quòd Patrem adduxeris illi,
Et certè tanto rurſus ſe præmia facto
Faſcibus adferrent; Te purpura prima Senatus
Veſtiret, ni fata priùs deponere triſtes
Corporis exuvias communi lege juberent
Pro Trabeis nunc luctus adeſt, & corda precãtur
In tenebris urnæ radium lucere perennem.
Aſtat adhuc Fraternus Amor, ſoluſq; ſepultus
Exuvias tamen ille dolet, jam maxime tumbam
Atteris ANTONI, ſed Te pia turba vovente *Rndmus Antonius Szembek Canonicus Cracovienſis.*
Proſequitur lachrymâ, Cœli requiemq; precatur.
Atq; Tui LUDOVICE memor flet Patria fatum *Illuſtriſſimꝰ Ludovicus Szembek Secretarius Regni.*
Quod Te nunc retinet nec dulces viſere poſtes,
Et nec Præſuleâ frontem præcingere vittâ
Permittit, tantùmq; premit fatalibus urnis.
Vivitis at Patriæ, vos ſuccedentia paſſim
Corda ſibi memorant, vos pectora cuncta notârũt. *Laus Colligatarum Domorum Celſis: Prin:*
Grandia funebribus commiſcet Nomina tumbis
Proxima quæq;Domus ſtat jam TARNOVIUS Hæres *Tarnovij.*
Jam ſat non parvis ZIELENSCIA Numina factis - *Zielinſcij*
Et ZURAVINSCIIS compenſat tumba decores, *Zuravinſcij.*
Patritios, Trabeæq; genus PRZYLĘCCIUS æquè *Przyłęccij.*
Splendor in arcanis Cœlorum fulgurat Aſtris
Urna tenet non paucos SZCZEPANOVIA faſtos *Szczepanovij.*
Intumulat Domus alta ſuos ORACZVIA faſces *Oraczovij.*

 Et

Ligęza. Et tumulus laudem Ligęzis ſcribit acerbus
Chełmſcij. Chelmscia venturos memorant pia buſta Tiaras,
Hæc ſed perpetuâ conſervat Nemeſis urnâ.
Walewſcy. Czerni. Nituntur celſæ Walewscia buſta Columnæ,
Czernorum Sanguis tumulis ſua facta perorat.
Kobielſcij. Sunt & Kobielsciîs præſtantia Nomina magnis
Rychłowij. Sydereoq; nitent Rychlovia ſtemmata Cœlo.
Bidźinij. Neſcio Bidziniis quod reddat penna tributum,
Warſzyccij. Nec parvum dicit Warszyccia Numina metrum.
At vos dum tetris ſqvallentia fata ſepulchris
Tarłones. Infundunt Comitum Tarlonum magna Propago,
Funebre Pieridum flueret per culmina metrum.
Aſt hoc exanimum non vult ſentire cadaver.
Umbra tenet Lacheſis præſtantis lumina vitæ,
Wiſniowieccij. Et jam funereum Corybuthia Luna nitorem
Spargit, ſub tumulis funalia triſtia formans.
O ſuperi! fatum ſic ſidera maxima inumbrat?
Cœlos urna tenes! tam grandis ſplendor in armis
Fumus bellorum, tonitru populantibus orbem
Sarmaticum Thracis, fulmen non vile Gelonis
Eclypſi Lunæ, quam Muſulmanus adorat
Sarmatiam pia Mithra tegens lumenq; Senatus,
Tot Proceres Magni, qui ſolo ſtemmate fati
Sunt immortales, condunt ſe pulvere mortis.
Et niſi perpetuum plantant in pectore planctum
His qui vitales nondum concluſimus annos.
Altera ſcena venit pariter miranda ſupernis
Civibus, & Lechicis lachrymam fuſura Quirinis.
Ill. Com. Siedlnicij, Agnoſco Comites Siedlniccia Numina Magnos,
In quibus Imperium totos poſuiſſe nitores
Et ſceptri fulgur veriſſima carmina dicunt.
Illi Mavortis toties novêre Penates
An Lyparam Rodopenq; colat, quâ ſede tenentur
Fulmina in Iliacæ ſonitum ſuccuſſa ruinæ,
Græcia jam toties Biſæ confuſa jubentis
Imperio Parthis commiſcens arma nefandis,
Illis vilis erat, nec priſco Nomine pectus
Concuſſit, nullo noſcens cum vulnere caſum.
Sed

Sed ſemper ſecurus erat, vel pace vel armis·
Ille animus, nullâ paſſus formidine vinci.
Grande decus Columenq; ſuum Germania novit
Et Comitum ſucceſſit honor, Mithræq; Sacratæ
Jam toties magna Domus hæc in prole fovetur,
Quam ſemper ſcimus Comitum de ſangvine dici,
Et toties tumulos decor hic ingreſſus inertes,
Quem jam ſidereis commendat pagina faſtis.
Nec locus eſt Muſæ ſtudio nec carmine quoquã,
Ut ſuper Empyreos poſſit ſe ferre Penates.
Jam ſe Principibus ſuſtentat Gloria Mithris,
Pulveream faciem, tumulos ſplendore ferendo.
ZBĄSKI Magnus adeſt pulchras cui Varmia Mithras
Incendit jam nunc inſculpit facta ſepulchris.
Qvis decor eſt Patriæ, Lechici quæ norma Senatûs
Et Superi Divûm nituit, qui zelus honoris
Qualis erat Princeps, turbæ Paſtorq; minoris
Æternis dicent venientia ſæcula luſtris.
Principe ſtipantur, Manes tumuliq; dolore
Primatis noſtri; qui quamvis pulvere mortis
Inſperſi, plorare tamen Tua funera Princeps
Non dedignantur, quod Lechia chara careret
Præſidio, facieq; Tua, curiſq Paternis.
Princeps ille dolor de pectore Principe ſurgens
Qvi de parte nitens alia lacrymatus ad urnas
Publica flebilibus numerando damna querelis.
Mollis lana fuit tepidos veſtita lacertos,
Purpureos cinctus, & ſplendida pallia formans.
Mithra caput ſuperat, dextra ponatur in una
Paſtorale pedum, lævam liber occupat ingens,
In quo Sarmaticas deſcribunt ſæcula leges,
Videt ut abjectis terrarum Lechia curis
Nobile funus adit, gemitus tenuemq; procellam
Ex oculo fundit, caſuſq; accuſat iniquos.
Dum ſic incepit væ! & lamentabile carmen
Lechia Diva venis, ades huc quo neſcio fato
Et Te Præſuleus jam puluis & urna ſalutat
Ille Tuus dolor eſt, cui crudæ ſtamina Parcæ

Cell Princeps Zbąſki Epiſcopus Varmienſis.

Inductio Doloris plorantis Celſiſſimi Principem. & Mortis circumſtantias enarrantis.

Ruperunt, jacet ille Tuus ſacra Lechia Princeps.
Occumbis, fatumq; Tibi miraris iniqvum
Magne Pater Patriæ Trabeati Norma Senatûs,
Occumbis! marmorq; Tua metiris in urna.
Qui nuper Lechicum clarabas lumine Regnum
Magnates, populumq; regens, O! Maxime Legum
Priſcarum Cuſtos, cujus ſub nutibus Orbis
Sarmaticus ſecurus erat, nunc ipſe timenti
In pallore jaces! mortis ſub lege tremenda
Opprimeris! magnam miſces cum pulvere lucem.
In mentem veniunt quæ nuper verba ferebas,
Patria quod nunquam de Te ſeducta manebat.
Ah! ſeducta fuit; multis promiſimus Annis
Quod Tibi formabunt longam bona ſidera vitam,
Spes cadit, eluſam ſe Lechia mæſta fatetur.
Miſcetur tumulis excelſa Potentia duris,
In Cineres abeunt Mithræ trabeæq; nitores,
Et decus & famam, funalia triſtia tollunt
Vivimus, & rectos circumſtans gloria faſces
Tumbis metitur. Cinis eſt quod lumina portat.
Hoc agitur dum corda dolor confundit amarus,
Sceptra fluũt lachrymis, fundũt diademata planctũ
Et cuncti faſces votis gemituq; parentant.
Flent Myſtæ, populuſq; ſacer, ſanctiſſima Templa
Nonniſi cantatos fundunt per limina planctus,
Auſcultant Cives, non vilis cauſa doloris
Aure levi bibitur, cor mærens pectora tundit,
Eliquat & fragiles oculis plorantibus undas.
Tu ſolum es fatum! quod lachryma nulla fatigat,
Nec fles orbatum tam grandi Principe Regnum;
Sed pariter ſpoliis, riſu, cultuq; ſuperbum,
Alterno nixum ſaliens pede funus acerbas.
Examen apum advolans præſagit, Mortem Celſiſſimo Primati. Flava volavit apis, tantæ prænuntia mortis,
Mater erat, longo ducens examine natas
Dum videt in ſolidum conſtructa Palatia murum,
Circumvolat Palatium. Circumiens parvis ſtupefecit marmora monſtris.
Miratur tales obſervans Aula volatus,
Et fragiles pennas & dulces ore ſuſurros

D2 Expen-

Expendit, qualem portent præſagia ſortem,
Sed potuit nullus tantos edicere caſus.
Vel non eventus narrant arcana patentes,
Vel Vates mæror ſepelivit pectora fibris,
Ne Fieret notum, quid langvida corda dolebant.
Deſine chara cohors ſcrutari in Tripode fatum,
Iſta brevi vobis certò ſecreta patebunt.
Ipſe ſuæ mortis Princeps oracula fundet
Alba velut Minci ſi funera noverit ales,
Præſagam vocem morientia guttura formant.
Quæ tenui leviter roſtro commerſa parumper
Vocibus argutis fatalia cantica dicunt.
Continuat cæptos Hymettea turba volatus,
Quæ dum ſe circum ſublimia tecta rotavit,
Triſtia debilibus narrans præſagia pennis,
Aggreditur, pugnatq; in apertæ vitra feneſtræ. *Per feneſtras introi tum tentant.*
Sed timor hinc arcet trepidis ſuffuſus Ephæbis.
Hortus adeſt, in quo non vilia gramina creſcũt,
Æquè ſed ductos format proportio cultus.
Jam violis liveſcit humus, jam flore Rosarum
Arva nitent, pulchræq; viret ver nobile frondi.
Excedunt portenta modum quemcunq; loquendi
Ars celer effingit. Medijs ars magna viretis
Occupat excultos florens Tibi Diva Penates.
Buxus erat creſcens, quem magno dextra labore
Effabricans in ſe leviter componit, & intus
Aptat Szembekio præclarum Nomine ſtemma.
Hic ROSA de buxo creſcit viridantibus Herbis,
Et cupidum Capris informat palpebra viſum.
Hoc opus aſſurgit, quod dum perfecit in imis
Verticibus Sacra Mithra tegẽs, labor hâud facit ultra
Obſequium. Sed nunc hic dulcior Hybla quievit. *In ſtemmate Celſiſſimi Principis e buxo fabricato quievit.*
Hoc poſtquam paſſim populo narrante notatur,
Ardua Supremus Princeps oracula ſolvit. *Celſiſſimus Princeps Mortem ſibi præſagit.*
Jam mihi terra patet, jam funera certa precatur,
Excedo fatis, viduos linquendo Penates,
Aula vale, ſerviq; mei, Trabeæq; nitentes,

Magne Pater jam tot Tibi facta ſtupenda fuêre,
In quibus Aſtriferum poſſes ſpectare Tonantem,
Et non mortalem per ſæcula ducere vitam.
Cur priùs ad populum nunquã quid tale prophetas
Ut nunc præcipuam Tibi ſolvunt fata loquelam,
Noſceris hoc ſolo magnus ſermone Propheta.

Præparatio ad mortem Celſiſſimi Principis.

Jamq; aptat morti langventia pectora Princeps
Et vitæ incertus Sacrata viatica ſumit.
Dicere fert animus quanto flammavit amore
Pectus, nec genitos quantùm prorupit in actus,
Quos de corde vehunt charo ſuſpiria Cœlo;
Hoc ſed circumſtans molliſſima fibra recondit.
Ut lex Diva jubet durari in funera corpus,
Tunc librum relegit Myſtes, de more precantem
Ut citus Empyreum moriens aſcendat in orbem.
Verba ſonant & corda tremunt, actuſq; frequẽtes
Præcedunt, Dominoq; ſtatim veniente Polorum
Limina diſſolvũt, & ſidera celſa propinquant.
Ultima Præſuleas jam vox pulſavit ad aures,

In illis verbis Cõmendationis animæ ſubvenite SS. &c emoritur.

Subveniat Superûm SanctiſſimaTurba Deorum,
Dum Princeps ſanctam tendit per ſidera vitam.
Et reſidet magnis ſocius per ſæcula Divis.

Polonia Celſmum Principem deflet.

Ampliùs impatiens rodi ſe corde latenti
Arcanos planctus, ſecretaq; verba loquaci
Confundit lachrymæ, molles turbata capillos,
Langueſcens proprium fletPræfica Lechia Patrem.
Indulgete meis immania fata qverelis,
Indulgete malis, Parcæ decreta ferocis
Parcite, crudelem ſubducat Nemeſis urnam.
Non fleo vaſtatum Divis ultoribus orbem
Non cædes, ſortiſq; vicem non rudera Regni
Triſtia labentis, procul hæc; mihi major oberrat
Mæror, & excordem prope veſtit funere vitam.
Immorior lumenq; fugit, ſpirituſq; vigentes,
Buſtá tenent animam, dum magni funera Patris,
Tutoriſq; mei, mæſtiſſima ſcæna remonſtrat.
Ah! quam non mites tam crudo verbere Parcæ
Eſtis, vos dextras unum formatis in ictum

Ster-

Sternitur at geminum ſub triſtia buſta cadaver,
Et me vulnus idem, Letheas ducit in oras.
Quod perimit Patrem Patriæ charumq; Dynaſtã.
Umbra diem cum ſole rapit. Sed plura ſuperſunt,
Hic caſus non ſolus erit. Viduata propago
Sarmatiæ, noſces quantis Tibi fata ruinis
Advenient, dices: o! Noſtræ Viſtula Terræ
Civis chare, meos multum mihi ſtare dolores.
Pieridos proprium narrabis Carpathe metrum
Quam caſus Lechicas terras pulſabit iniqvus!
Nunc ſuper hos tumulos præmortua lingua re-
cantat
Et ſtrepero mæſtum verſu ſolatur amorem.
Ut Cælis rutilat varij Thaumantias oris
Udas dum linqvunt fugientia nubila terras
Non imprægnatum nimbis referendo colorem.
Gramina ſuccreſcunt viridantia frugibus altis.
Iſta mihi facies cum Pieniążkowna fuiſſet *Nativitas Celſiſſimi Principis.*
Excelſam prolem magnis paritura Tiaris.
Suſcepit Lucina Decus, Pignuſq; Mithrarum
Inter ſacratos juſſit ſuccreſcere Divos.
Ut prætexta fuit pulchris difformior annis,
Incipit excelſam virtus ſuccendere mentem,
Hæc jam Magna fuit, nec ſe per vilia quæq; *Magna Indoles.*
Lubricat, at magnis ſe ſe prædeſtinat aſtris
Eſt animus populo mites præſcribere leges,
Dextra petit faſces, Mithris caput eſſe decorum
Exambit, tenerum hæc retinent Olympia votum.
Intereà Cracijs mens eſt exculta Palœſtris, *Studia in Academia Cracovienſi abſolvit.*
Quam replet pulchro veneranda ſcientia faſtu.
Extera Regna petit, famam ſuſcepit euntem *Peregrinatio.*
Danubius, plauſumq; dedit fluitantibus undis.
Hinc Rhodanus ſubmiſit Aquas, & Sequana Gallis
Edixit, qualem portent confinia Prolem.
Albula ſubjecit fontes, calcata procella
Subſilijt, ripæ plaudentia murmura portant.
Sed rurſus Superûm mihi Proles reddita nutu, *Reditus in Poloniam*
Patritios poſtes, cognataq; tecta petivit.

Hæc dico; Tu Crace ſtupes nulluſq; loquelis
Sacris Ordinibus initiatur. Verbi Divini Prædicator eximius.
Eſt animus, quæſo dic qualis Myſta Sacratos
Aſcendit Superos; Divis ſe verba Cathedris
Qualia diffundunt; non id narrantibus undis
Dicitur, & Grajus ſuſpendit plectra Cytheron.
Quis verò fervor populi pia verba bibentis?
Suſcitat ardentes percuſſo pectore voces
O! Numen magnum cur nos peccavimus (inquit)
Cur Te non cæſis placat Sacra victima buſtis?
Cur nobis non fundis opem? cur maxima Cœli
Sidera Te miſeris nondum ſuccurrere terris
Permittunt? ah! Magne Deus Tua viſcera pande;
Tolle nefas fragilis populi, quod fecit abuſus.
Hoc agitur, ſed Diva probat mens cardine ſūmo.
Affectumq; regit, dum Cœli & ſidera rident,
Illi jam Cracium ſubjecerat Infula Stallum
Canonicus Cracov:
Cum præcingens Suffraganea tænia frontem
Augeret, magnæ quæ poſſet culmina Mithræ
Tangere, perfectum ſpargens in ſceptra nitorem,
Divus honor nunquam radio patiente qvieſcit,
Munera ſed ſemper verſans addenſat eandem
Jam commutatus vario ſplendore Curulem
Sic ſua Præſuleas invertit Gloria ſortes.
Veſtit honor meritos Trabeis auroq; lacertos,
Epiſcopus Vladiſlavienſis.
Infula Sacratos clarat Vladslavia crines.
Hìc quâ parte velis, poſſes laudare merentem
Civem, qui Patriæ pulchro communis amore
Conſul erat Trabeis, nutanti Paſtor Ovili,
Ac velut in noſtros orbes ſi priſca redirent
Sæcula, Magnorum Dominantia Numina Regum
Et regerent terras, & thura Sacrata cremarent.
Sana Cōſilia Patriæ.
Pondus erat non vile mihi; Cōſulta Senatum
Implebant, ac ſi Latium Capitolia Marcum
Audirent, proprium vel haberent Sceptra Catonē
Sed non in verbis, aſt & ſudore probavit
Ad Sveticam incurſionem Coronas ſecum avehit, & earum ſecuritati præcavet.
Obſequium, nam dum gravibus turbata Sùévis
Interitum ſperans grandes producere cordis
Debueram gemitus, tam triſtia fata fluenti
De-

Deplorans lachrymâ, ſolus mea lumina terſit
In ſudore ſuo. Noui quam charus amatæ
Ille Pater Patriæ, Regni Diademata ſumens
In tanto fovit noſtrarum turbine rerum.
Certè Sacrilegis manibus fors illa teneri
Fata darent, forſan Svecum mea ſceptra Tyrannũ
Ornarent, Gentis libertatemq; Polonæ
Compes haberet acris; ſed nunc mea fata potēti
Vincimini Dextrâ, domitus proſternitur ictu
Qui Lechicum petijt pectus cum vulnere certo,
Damna mihi ſublata manent, dum cura fatigat
Pontificem Patrēq; meum. Quæ incōmoda forſan
Pertulit, & mediis quoties erravit in armis
Ah! quoties dubiæ ſuperans diſcrimina vitæ
Et montes, Sylvaſq; tetras, valleſq; profundas
Inſcendit, Patrios ut conſervaret honores.
Quam cor forte fuit, reboantia fulmina Cœli
Et tonitru, nimboſq; graves Lybicumq; calorem
Æſtibus expoſitus, ſolo devicit amore,
Quo caluit; propriam vellet deponere vitam
Non dubius, ſi me tantis ſubducere fatis
Non alio ſe poſſe modo noviſſe daretur.
Senſit Divorum felix Vladslavia munus, *Paſtoralis Vigilantia.*
Ut ſe perpetui pulchro de Nomine Cæli
Audiret paſſim tanto ſub Præſule dici.
Et certè magnis reſpondent Nomina factis
Civibus hi mores, cultus hi pinguibus aris,
Et lex vivendi, Myſtes ſic Numina placat,
Qualis compoſiti ſcitur proportio Cæli
Conſcia cunctorum novi, quid facta loquantur
Virtutem tantam ſtupui, rubeumq; petivi
Qui reſidens Mithrā manibus conformat Honorē
Auriger, ut tantos ornet mercede labores.
Annuit, & protunc poſt triſtia buſta vacantis
Aſſumens donat Gneſnenſis præmia Mithræ. *Archiepiſcopus Gneſnenſis & Primas Regni.*
Ornavi canos, Civem Patremq; ſalutans,
Primatemq; meum prope Regia Sceptra locavi.
Ut regerēt populum gemino duo Numina ſceptro.

 Gra-

Gratus erat Patriæ Curas, seu dona ferenti,
Nec tamen excelsâ detersit Fronte labores,
At potiùs Princeps solio patiente quiescens,
Totius sensit non parva fatigia Regni.
Jura Patriæ.
Dum Cives Patriæ condebant Jura tenendæ
Arbiter altus erat, dum perfida fata fremebant,
Tutor, in adversis dans certa juvamina rebus.
Ah! memini dum quassa fui communibus armis
Non gladios nō scuta ferens sopivit amarū
Fulmen, & infestum tersit de sanguine ferrum.
Libertas pretiosa mihi deflebis iniqvas
Fatorum larvas, non parvum pondus honori
Emoritur, cessatq; Tuo; scis fulguris ortum?
Hoc sed corda premens cogit non dicere luctus.
Zelus Honoris Divini.
Quid dicam quantus fuit illi zelus honoris
Divini, quantas gessit pro Numine Curas;
Oppressis toties creverunt marmora templis.
Multas Ecclesias restauravit.
Enarret, propriumq; decus pia Gnesna loqvatur,
Penniger edicat Divos Pelicanus Honores,
Et laudis vocem dent Skiernievicia templa,
Tutorem linguis declamant claustra disertis
Tota Mecænatem Calasantia plorat ademptum
In Fabricam Patrum Scholarum Piarum Lovicienſem Munificentiſſimus.
Relligio, tectisq; suis erecta fatetur
Luctum, qui fragiles durus consurgit in artus.
Exanimem fletis populi, cui peste gementes,
Tempore pestis Ipse Celsissimus Confessiones populi excipiebat
Ad non turbatas posuistis crimina plantas;
Vitam despexit meus inter funera Princeps,
Ut cunctis præ mole mali langventibus æquè
Ferret opem miseris. Exempla bonorum
Exemplarissimus.
Nota manent, legemq; ferunt moremq; sequenti.
Dicere jam nequeo, jam magno verba dolori
Merguntur, fessas includunt corda loquelas.
Sidera sed pro me nunquam Tua facta tacebunt,
Edicent fasti, narrabunt sæcula centum,
Qualis eras mihi Magne Pater, quā magnus Avitis
Purpureus Princepsq; ROSIS, Pastorq; Capellis.
Qualem Te tenui donârunt Numina Turbæ.

Vt fueras tutela pijs, ut fulmen iniquis; *Virtutes fovet Vitia abominatur.*
Magnus utroq; Pater. Nec quã malefacta querelã
Decantant, totum ſic Princeps Numine celſo
Concordas, ut plexa Tibi dent crimina grates.
Talem Te tenui, tenui! ſed ſydera mandant
Amiſſum ut plorem, nec Te felicibus aſtris
Invideo, teneat Te Curia Diva polorum.
Me tamen adverſis vexatam reſpice fatis
Et Magnam è cœlis & circumſtantibus aſtris
Tende manum, Numenq; Tuum, radioſq; ſerena.
Jam Tibi nunc tremulis lucet ſplendoribus æther,
Et meritos Sanctus canos illuminat ignis.
Nunc immortalis Princeps Tibi vivitur àër. *Celſiſſimus Princeps nunc immortalis eſt quia in Meritis ſuis perennat.*
Virtutem non fata premunt, non compede fili
Innectit fera parca pedem, quem corde fovebat
Libertatis amor, quæ tot diſcrimina Regni.
Edomuit pacata Manus, tetra Numina vincet,
Et ſuper emeritam diſponet ſydera frontem
Ille animus nullo teſtans ſudore laborem
Ilicet aſſiduos meritis conſumpſerit annos
Nil debet fatis præter tentoria pellis
Et fragiles nervos. Sed non ſic æthera denſant
Arcanos aditus, ut Te pia corde petendo
Lechia perpetuis non poſſit cernere luſtris,
Mente Tui cupidâ. Vives o! Maxime Princeps;
Pectoribus Tibi certa Domus fabricatur in imis;
Te pia Turba colet, populi Tua fata dolebunt,
Floribus alta Domus Te deportabit Avitis.
Sic habitans Primi conſumes ſyderis ortum
Corporeâ tamen eſſe domo dicêre perennis.

FInis adeſt defuncta ſuo jam penna volatu
Concidit ante Tuos tumulos o Maxime Princeps
Et notat in duro pullatum marmore Carmen.
Corda repande dolor! lachrymæ fundantur inanes!
Concuciat pectus mæſtiſſima dextra nefandum!
Lugeat ah! Patrem Tutorem ploret amantem

Et Defenſorem, Decus Ingens, miſta furori
Palpebra. Dum deflet Primatem Lechia mærens,
SZEMBEKIAS Columen poſtquam deplorat avitum;
Tendere magne dolor, cordis conſume receſſus
Dum geminat planctus, dum lamentatur in uno
Omnia, quæ potuit propriis promittere Natis
Relligio lachrymans Caſum Calaſantia tantum
Non excreſcetis jam tecta Penatibus altis
Mærorem ſacra templa dabunt, perfecta laborem
Non referent, illis proprius cum Principe caſus
Adveniet, tantum memorabunt marmora funus.
Diſcite rodentem pectus Palladia luctum,
Pro Literis gemitum, pro verſu dicere leſſos,
Et de præmiſſis veniat Concluſio ſemper!
Ergo meos oculos mæſtarū flumen aquarum
Diffundet, toto plorabit palpebra viſu.
PRINCEPS & PRIMAS, & Tutor, Maxime PRÆSUL.
Ah! ſemper nobis (memoro) Tu corde favebas
Cur nunc obdormis? cur viſus Dive recedis?
Vel Calaſantinam quo plebem pectore condis?
Ah! niſi fraternos Præſul tranſumet amores
Cûi cingit Frontem ſacris Vladslavia Mithris
Illi jam Divas portans Poſnania Mithras
Se fortunatam tanto ſub Præſule ſenſit.
Error nullus erat fidei, grave dedecus Aris
Illico nam tales grandis ſolertia mores
Præcidit, multum Trabeis addicta Quirinis
Error nullus erit ſi Tanto Præſule nixæ
In luctum lapſas vis cuſtodire Palæſtras.
Stas alijs ſuffulta Mithris Præmislia fulcrum
Infula donabit, multis cui carmina venis
Non dum vel minimam poſſunt deſcribere magnæ
Virtutis ſpeciem; nam ſolo Præſul in ore
Noſci forte poteſt, ſic Celſam Gratia Frontem
Ædificat, magnam ſic portat Gloria Famam,
Sic caput excelſum ſuperis defigitur Aſtris,
Pectus ſic probitas, magnos Animoſq; gubernat.
Et MICHAEL Cracios forſan ſeponet honores.

Ut

Ut Tibi ſuccurrat levibus Sacra Mithra vacabit
Obſeqvijs, ſic dulcis amor grave pectus adurit
Et Tu non parvam fers Cancellarie dextram
A qua complexus Noſter bene flectitur Orbis.
Patria Chara Tuæ ſuſpendit munera Curæ
Publica, quæ rurſus magno ſudore peracta
In famam Regni, vel Libertatis Honorem
Effabricas, clarus ſervato murice Civis.
Sic meritus Patriæ, Noſtrum non deſeris orbem
Sed ſe Gangeticis effundit Gratia rivis
Fors Tutamen eris, ſociuſq; tuebitur illum
Et paſcet Dapifer; dum Noſtrum Numina Numẽ
Inter ſydereos colluſtravêre Penates,
Quem promptum pectus nec ſegnis pectore fervor,
Perpetuos memorans ſemper ſervabit in Annos,
Æternum gratus quantum ſe ſydera volvent,
Quantum ſubjectis Titan dominabitur Aſtris.

MORS OPTIMA BONIS, PESSIMA MALIS.